

randum, quo remoto factum non esset? His quintam Plato adjicit, exemplar, quam ipse ideam vocat: hoc est enim, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod sibi ipse concepit et posuit. Haec exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum quae agenda sunt, et modos mente complexus est: plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipsa autem humanitas, ad quod homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur. Quinque ergo causae sunt, ut Plato dicit: Id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod; novissime id quod ex his est. Tamquam in statua, quia de hac loqui coepimus, Id ex quo, aes est: Id a quo, artifex est: Id quo, forma est, quae aptatur illi: Id ad quod, exemplar est, quod imitatur is, qui facit: Id propter quod, facientis propositum est: Id quod ex istis est, ipsa statua. Haec omnia mundus quoque, ut ait Plato, habet. Faciens, hic Deus est: Ex quo fit, haec materia est: Forma, hic est habitus, et ordo mundi, quem videmus: Exemplar, scilicet ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimam fecit; Propositum, propter quod fecit. Quaeris, quid sit propositum Deo? Bonitas, ita certe Plato ait. Quae Deo faciendi mundum causa fuit? bonus est, bono nulla cujusquam boni invidia est. Fecit itaque quam optimum potuit. Fer ergo judex sententiam, et pronuncia, quis tibi verisimillimum videatur dicere, non quis verum dicat; id enim tam supra nos est, quam ipsa veritas. Haec quae ab Aristotele et Platone ponitur turba causarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Nam si quocumque remoto quid effici non potest, id causam judicant esse faciendi, pauca dixerunt. Ponant inter causas tempus; nihil sine tempore potest fieri. Ponant locum; si non fuerit ubi fiat aliquid, ne